

Quod in ea natum est, de Spiritu Sancto est.

✠ Lécitio sancti Evangélii secúndum Mattháeum

1, 1-16. 18-23

¹ **L**iber generatiónis Iesu Christi
filii David filii Abraham.

² Abraham genuit Isaac,
Isaac autem genuit Iacob,
Iacob autem genuit Iudam et fratres eius,

³ Iudas autem genuit Phares et Zara de Thamar,
Phares autem genuit Esrom,
Esrom autem genuit Aram,

⁴ Aram autem genuit Amínadab,
Amínadab autem genuit Naásson,
Naásson autem genuit Salmon,

⁵ Salmon autem genuit Booz de Rahab,
Booz autem genuit Obed ex Ruth,
Obed autem genuit Iesse,

⁶ Iesse autem genuit David regem.

David autem genuit Salomónem ex ea, quæ fuit Uríæ,

⁷ Sálomon autem genuit Róboam,
Róboam autem genuit Abíam,
Abía autem genuit Asa,

⁸ Asa autem genuit Iósaphat,
Iósaphat autem genuit Ioram,
Ioram autem genuit Ozíam,

⁹ Ozías autem genuit Ióatham,
Ióatham autem genuit Achaz,
Achaz autem genuit Ezechíam,

¹⁰ Ezechías autem genuit Manássen,
Manáesses autem genuit Amon,
Amon autem genuit Iosíam,

¹¹ Iosías autem genuit Iechoníam et fratres eius
in transmigratióne Babylónis.

- ¹² Et post transmigratióem Babylónis
Iechonías genuit Saláthiel,
Saláthiel autem genuit Zoróbabel,
¹³ Zoróbabel autem genuit Abiud,
Abiud autem genuit Elíachim,
Elíachim autem genuit Azor,
¹⁴ Azor autem genuit Sadoc,
Sadoc autem genuit Achim,
Achim autem genuit Eliud,
¹⁵ Eliud autem genuit Eleázar,
Eleázar autem genuit Matthan,
Matthan autem genuit Iacob,
¹⁶ Iacob autem genuit Ioseph virum Maríæ,
de qua natus est Iesus, qui vocátur Christus.

[17]

- ¹⁸ Iesu Christi autem generátio sic erat.

Cum esset desponsáta mater eius María Ioseph,
ántequam convenírent
invénta est in útero habens de Spíritu Sancto.

- ¹⁹ Ioseph autem vir eius,
cum esset iustus et nollet eam tradúcere,
vóluit occúlte dimítere eam.
²⁰ Hæc autem eo cogitánte,
ecce ángelus Dómini in somnis appáruit ei dicens:
«Ioseph fili David,
noli timére accípere Maríam cóniugem tuam.
Quod enim in ea natum est,
de Spíritu Sancto est;
²¹ páriet autem fílium,
et vocábis nomen eius Iesum:
ipse enim salvum fáciat pópulum suum
a peccátis eórum».
²² Hoc autem totum factum est,
ut adimplerétur id, quod dictum est a Dómino

per prophétam dicentem:

²³ «Ecce, virgo in útero habébit et páriet fílium,
et vocábunt nomen eius Emmánuel»,
quod est interpretátum «Nobíscum Deus».

Verbum Dómini.